

re latebras,  
tronos latitant.<sup>1</sup>  
Tempus est insi-  
[diis,  
ovis sycophantiis  
ovinciam bellule,  
manos reddere.  
deret?  
eu! vos amiculi!  
quae molestiam

et quod minime!  
vel lent nos tra-  
[dere?  
ugurhae antiqui-  
[tus?  
ae parabimus!

uamur Africe.

STANS *cum suis*,

agamus gratias  
[plurimas  
dederunt iter,  
uxere incolumes,  
is et precibus ...  
escemus optime.  
s pulcherrima,  
ns quae divitiae?

ui sunt? Cives an  
[advenae?

t.  
ta voce.

proximum numerum).

ari orbi


i, Sponsor.

TIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

**Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus**  
*Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)*

**Sedes aliae:** In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Crema - Cremona - Cuognè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietrangello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbettello - Orvieto - Orzinuovi - Paganu - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

**Apud Italicas colonias:** Bengasi - Tripoli.

**Apud exteras gentes:** Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebiba, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

**Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.**

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
 pretio quo sequitur:

**JOSEPHI FORNARI Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

**JOSEPHI FORNARI Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

**HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

**I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae.** - Singulæ lib. 1,50.

**I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula.** - Lib. 1,50.

A

Pretium ann  
pro His  
nalis et  
ante sol  
Governo

SOCIIS

Plures  
tim, qui a  
quae fuer  
hoc nostr  
superioris  
sociationis  
dem invi  
secedant -  
gnoscimus  
quin pret  
enim exeu  
mentem s  
revocavim  
rerum ca  
ficia susti  
eximiam  
latinitate a  
mentarius  
dicamus, h  
terum et r  
mentarii n  
nonne sol  
monstrat,  
hodiernum  
componere  
que per s  
ciationis p  
mentum al

rcidoso - Arezzo -  
 - Bastia Umbra -  
 o - Bra - Brescia -  
 anza - Carloforte -  
 entino - Catania -  
 omo - Cornigliano  
 Fermo - Fiesole -  
 ni - Fossano - Fra-  
 bio - Intra - Ivrea -  
 a - Merano - Mer-  
 etrangeli - Monte  
 a - Novi Ligure -  
 Piadena - Pietra-  
 ortoferrario - Porto  
 - Rocchetta Ligure  
 severo - Saronno -  
 a - Tivoli - Torino  
 iareggio - Viterbo

h, Borjas Blancas,  
 ro, Port Said, Man-  
 Cheikh, Magagha,  
 Aleppo, Beyrouth,  
 Turcarum imperio

ae sunt.

enum dantur,

ad latina col-  
 De valetudine

m, Milesiae  
 s. - Singulae

- Si tegu-  
 lib. 4.

ones drama-

. - Lib. 1,50.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*

## SOCIIS NOSTRIS HUMANISSIMIS

Plures habentur socii, ex iis praesertim, qui ab *Almae Romae* incunabulis, quae fuerunt mense Maio MCMXIV, opus hoc nostrum comitati sunt, quibus cum superioris mensis fasciculo annuae consociationis fuit finis. Eos igitur non quidem invitamus ne ab agmine nostro secedant - satis enim eorum studium cognoscimus, - sed ne nimis remorentur, quin premium consociationis solvant. Iam enim exeunte mense Decembri MCMXX in mentem sociorum et lectorum omnium revocavimus difficultates, quibus in hac rerum caritate obruimur, et quot sacrificia sustineamus, ut, in unicam illam eximiam formam intendentes, quam de latinitate animo conceptam habemus, commentarius noster ei vel in ipso, ut ita dicamus, habitu corporis respondeat. Ceterum et ratio quam instituimus, ne commentarii nostri premium nimis augeretur nonne sollicitudinem nostram satis demonstrat, quo in bonum utriusque partis hodiernum rerum statum cum aequitate componeremus? Statuentes enim ut quisque per suae nationis pecuniam consociationis pretio satisfaceret, nihil in detrimentum alicuius addidimus; in sua enim

civitate premium singulorum nummorum (*francorum, dollarorum, anglicae libellae, etc.*) cuique est nunc, quod fuit antea; at nobis ex permutationis foenore aliquid retrahere honeste procuravimus, ex quo immodi dispendii lacunas, ex parte saltem, exploreremus. Neque, pro recto sociorum nostrorum animo, putamus fore eorum quemquam, qui ex subversa numerorum nostrorum aestimatione ab avidis mensulariis imposita, in fortunas nostras ita imminere velit, ut ex laboribus nostris quaestus sibi facere praesumat.

Itaque fidenter circa annuam novam subnotationem exspectamus pretii solutionem iuxta normam suo tempore constitutam, quae scilicet sequitur:

Pro Italia . . . . .	lib. 12 -
» Gallia, Helvetia, Belgica	franc. 15 -
» Hispania. . . . .	peset. 15 -
» Graecia . . . . .	drach. 15 -
» Batavia . . . . .	flor. 7,50
» Anglia . . . . .	shell. 12,50
» Civitatibus foeder. Ameriae Septentrionalis et Canada . . . . .	doll. 3 -

Pro ceteris nationibus summa *Gallicos francos* 15 exaequans.

Denique monitos omnes volumus necesse non esse ut nuncium prolatae sub-

notationis ad nos mittatur; siquidem iam diu inter consociationis leges haec, uti constat, posita est:

*Consociatio ad anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

A. R.

### De titulo « Deipara, Θεοτόκος », qui B. Virginis Mariae competit.

Recurrente mense mariano, opportunitum atque iucundum erit pauca de hoc titulo historice recolere.

Sicut iam Diodorus Tarsensis<sup>1</sup> distinguebat in Christo filium Dei et filium David, ita Theodorus Mopsuestenus finxit Verbum habitare in Christo sicut in templo; ex quo sequebatur Christum esse Dei filium non natura, sed gratia, et B. Virginem nonnisi improprie *Deiparam, Θεοτόκον*, dici posse.<sup>2</sup>

Nestorius denique, adstruendo in Christo duplē personam, impugnavit titulum Deiparae, contenditque B. Virginem nullatenus posse Θεοτόκον vocari, sed solum *Χριστοτόκον*, vel Θεοδόχον, Dei receptaculum.<sup>3</sup>

Sacra vero Scriptura maternitatem divinam B. Virgini reapse adscribit. Quod argumentum sic proponit S. Thomas: « Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum quod B. Virgo sit mater Dei, inventur tamen expresse in Scriptura quod

Iesus Christus est verus Deus et quod B. Virgo est mater Iesu Christi: unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae quod sit mater Dei.<sup>4</sup>

Imo Scriptura vocem adhibet, quae idem innuit et asserit. Quae enim pronuntiat Elisabeth ex afflato Spiritus Sancti sunt inspirata, ac subinde ut verba divina accipienda. « Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: ... Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? ».<sup>5</sup> Vox autem Domini in Scripturis et praesertim in Evangelio Deum proprio audit ac Deo reservatur. Quapropter ex Scripturis liquido constat B. Virginem dici et esse Dei matrem.

\* \*

Scripturis vero immediate continuatur traditio primitivae Ecclesiae. Iam Patres Apostolici enuntiant Deum esse genitum a Maria: « Deus, - ait S. Ignatius Martyr, - parturiebatur a Maria ».<sup>6</sup>

Ex quo manifeste colligitur Mariam esse Dei genitricem. - Addit S. Hippolytus Martyr Deum Verbum incarnatum esse in utero Virginis.<sup>7</sup> Similiter S. Ireneus docet ex Maria natum esse Emmanuel, Deum nobiscum.<sup>8</sup> Eodem sensu scribit Tertullianus: « Concepit igitur Virgo et peperit Emmanuel, nobiscum Deum ».<sup>9</sup> - At, si Virgo genuit vel peperit Deum, est vere Deipara.

Saeculo autem III, iam adhibetur vox Θεοτόκος in schola Alexandrina. Fuisse ab ipso Origene usurpatam tradit Socrates;<sup>10</sup>

<sup>1</sup> DIODORUS, *Cont. Synusiast.*; P. G., XXXIII, 1559-1561.

<sup>2</sup> THEODOR. MOPSUEST., *De Incarn.*; P. G., LXVI, 969-998.

<sup>3</sup> Cf. SERM., NESTORII, I, 6, 7; IV, 1, 3; V, 2, 3; XII, 32, apud MAR.; MERCATOR; P. L., XLVIII; et *Le Livre d'Héraclide de Damas*, trad. F. NAU, Paris, 1910, pag. 92, 131, 154, 163-171, 260-262; et P. MARTIN JUGIE, *Nestorius et la controverse nestorienne*, Paris, 1912, pag. 118-125.

<sup>1</sup> S. THOM., p. III, q. 35, a. 4, ad 1.

<sup>2</sup> LUC., I, 41-43.

<sup>3</sup> S. IGNAT. M., *Ephes.*, VII, 18, 20.

<sup>4</sup> HIPPOLYT., *Adv. Noet.*, XV-XVII; P. G., X, 824 ss.

<sup>5</sup> S. IREN., *Adv. Haeres.*, III, 16, 18, 21; P. G., VII, 925, 937, 955.

<sup>6</sup> TERTULL., *De carne Christi*, 17; P. L., II, 781.

<sup>7</sup> SOCRAT., *Histor. Eccles.*, VII, XXXII; P. G., LXXVII, 812 A B.

verum non amplius exstat primigenius Origenis textus.

Quidquid autem sit de Origene et aliis pluribus scriptoribus eiusdem aevi, certum est vocem Θεοτόκος usurpari a S. Alexanderino, qui saeculo IV ineunte scribebat, et obiit anno 328. Modus porro quo ipse loquitur, « corpus sumptum ex *Deipara Maria*, ἐκ τῆς Θεοτόκου Μαρίας »,<sup>1</sup> supponit vocem illam esse omnibus notam et idcirco saeculo superiore iam usurpatam.

Saeculo porro IV communiter adhibetur, sive a S. Athanasio, sive ab Eusebio, sive a S. Gregorio Nysseno, sive a S. Cyrillo Hierosolymitano.<sup>2</sup>

Demum saeculo V, S. Cyrillus Alexandrinus hoc dogma contra Nestorium acerime vindicavit, quod solemni oraculo definitum Concilium Ephesinum an. 431.

Praecipua igitur documenta ecclesiastica sunt quae sequuntur:

Concilium Ephesinum, can. 1: « Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel et propterea *Dei genitricem, Θεοτόκον*, sanctam Virginem: peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum, a. s. ».<sup>3</sup>

Ioannes Papa II, an. 534: « Gloriosam vero sanctam semper Virginem Mariam proprie et veraciter *Dei genitricem matremque Dei Verbi* ex ea incarnati ab omnibus catholicis confiteri recte esse docemus ».<sup>4</sup>

Concilium Constant. II, an. 533: « Si quis abusive et non vere *Dei genitricem, Θεο-*

<sup>1</sup> Apud THEODORIT., *Hist. Eccles.*, I, IV, 54, P. G., XVIII, 568 C.

<sup>2</sup> S. ATHANAS., *Orat. III cont. Arian.*, et *De Incarn.*, VIII, P. G., XXVI, 349 C, 385 A, 393 B, 996 A; EUSEB., *Cont. Marcell.*, II, P. G., XXIV, 777 B; S. GREGOR. NYSSEN., *In Christ. resurr.*, II; P. G., XLVI, 648 B; S. CYRILL., *Cateches.*, X, 19; P. G., XXXIII, 685 A.

<sup>3</sup> DENZINGER, 218.

<sup>4</sup> Idem, 290.

<sup>5</sup> Idem, 1463.

<sup>6</sup> S. BONAVENT., *Specul.*, cap. VIII.

τόκον, dicit sanctam, gloriosam semper Virginem Mariam, a. s. ».<sup>1</sup>

Concilium Constant. III, an. 680-681, confitetur « de Spiritu Sancto et Maria Virgine proprie et veraciter *Dei genitrice, Θεοτόκον*, secundum humanitatem unum eundemque Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis indivise cognoscendum ».<sup>2</sup>

Quam definitionem repetit Benedictus PP. XIV in Professione fidei Orientalibus imposita.<sup>3</sup>

\* \*

Ratio autem theologica haud aegre intelligitur. Qum generationis terminus sit suppositum seu persona, illa mulier dici debet *Dei mater*, quae praestat generationem, cuius terminus est persona divina. Praestat autem reapse Maria huiusmodi generationem, cuius terminus est divina persona, scilicet Verbum, cui natura humana hypostaticè coniungitur. Sicut enim in humanis mater, tametsi non est animae causa, dicitur absolute mater totius hominis, qui ex corpore et anima absolutitur, quia ipsa ponit actionem quae ad suppositum humanum terminatur; ita, pari iure, B. Virgo Maria dicenda est proprie Dei mater, eo quod generationem praestet quae terminatur ad ipsum totum, scilicet suppositum divinum.

Hinc colligunt sancti Doctores quantae sit dignitatis B. Virgo. « Maiorem mundum, - ait S. Bonaventura, - potest facere Deus, maiorem matrem quam matrem Dei facere non potest ».<sup>4</sup>

Rem sic explicat S. Thomas: « B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam infinitatem ex bono infinito quod est Deus, et ex hac parte nihil potest fieri

melius, sicut non potest aliquid esse melius  
Deo ». <sup>1</sup>

Quia vero Deipara ius habet ad haereditatem Filii, et Filius est rex angelorum et totius universi, concludi recte potest B. Virginem esse hoc titulo angelorum reginam et mundi dominam, prout pie exprimit S. Bernardinus Senensis, cuius iam celebratur hoc effatum: « Tot creaturae serviunt B. Virgini quot serviunt Trinitati: quae omnia sunt divino imperio subiugata, eadem gloriosae Virgini sunt subiecta ». <sup>2</sup>

At nobis est domina tamquam mater. Quum enim Incarnatio sit propter redemptionem et maternitas divina propter incarnationem, planum omnino est creaturam illam, quae eligitur in matrem Dei, simul in matrem hominum eligi, ac subinde fieri matrem corporis mystici per gratiam, sicut mater fuit corporis naturalis per generationem.

Quo sensu possumus Deiparam salutare cum S. Ephraem, Ecclesiae Doctore recens constituto: « Ave, Domina nostra, foedus pacemque fidelibus tuis impetrans... Ave, porta caelorum, et scala ascensusque omnium. Ave, portarum paradisi reseramentum ». <sup>3</sup>

Ulro iam conclusio ingeritur, manifesta et iucunda nimis: *Nobis per Mariam adhaerere Deo bonum est.*

E. HUGON, O. P.

<sup>1</sup> S. THOM., p. I, q. 25, a. 6, ad 4.

<sup>2</sup> S. BERNARDIN. SENENS., *Serm. LXI*, art. 3.

<sup>3</sup> S. EPHRAEM, *Opera*, Edit. Venet., MDCCCLV, tom. I, p. 570.

Multarum rerum cognitio aut valde iuvat, aut valde laedit. Iuvat quidem virum dextrum, et modestum, et commodum; laedit autem eum, qui facile quemvis sermonem, et apud quemvis loquitur.

SOCRATES apud Stobaeum.

## DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS <sup>1</sup>

### Nubes.

Non tam diligenter, ut Arabes, poëtae Graeci Latinique ventorum nubiumque ludos contemplati esse videntur. Quamquam etiam huiusmodi comparationes existant (E, 522):

Ἄλλ' ἔμενον νεφέλησιν ἐουκότες, ἀστε Κρονίων νηνεμής ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν ἀτρέμας, ὅφρ' εὐδήσι μένος Βορέαο καὶ ἄλλων ζαχρῆῶν ἀνέμων, οἵτε νέφεα σκιόεντα πνοιῆσιν λιγυρῆσι διασκιδνᾶσιν ἀέντες.

(Π, 297):

Ὦς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὕρεος μεγάλοιο κινήσῃ πυκνὴν νεφέλην στεροπηγέρετα Ζεύς, ἐκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοτιά καὶ πρώσοντες ἄκροι καὶ νάπαι, οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἀσβετος Γαιθήρ.

SOL. (13, 8):

Ἄλλὰ Ζεῦς πάντων ἐφορᾷ τέλος, ἔξαπίνης δέ ωστ' ἄνεμος νεφέλας αἴφα διεσκέδασεν.

THEOCR. (25, 89):

Αὐτὰρ ἔπειτα βόες μάλα μυρίας ἄλλαι ἐπ' ἄλλαις ἔρχομεναι φαίνονθ' ὥστε νέφη ὥδατόεντα, ἀστά τ' ἐν οὐρανῷ εἰσιν ἐλαυνόμενα προτέρωστες ἢ νότοιο βίῃ ἡὲ Θρηκὸς βορέαο.

CAT. (64, 238):

Haec mandata prius constanti mente tenentem Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes aerium nivei montis liquec acumen.

HOR. (c. I, 7, 15):

Albus ut obscurō deterget nubila caelo saepe Notus nec parturit imbres perpetuos.

PROP. (II, 5, 11):

Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae nec dubio nubes vertitur atra Noto.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

Color nubium, nisi in iis comparationibus, quas supra ab aurora delatas enumeravi, ab uno Vergilio semel adhibitus est (Aen. VIII, 622):

Loricam ex aere rigentem  
sanguineam, ingentem, qualis cum caerulea nubes  
solis inardescit radiis longeque refulsit.

Quibus non ruborem matutinum spectat poëta, ut Washietlius vult, neque Apollonii versus (Arg. IV, 125 seqq.) secutus est, ubi vellus aureum vocatur: Νεφέλη ἐναλέγκιον, ἢ τ' ἀνίόντος ἡλίου φλογέρηστι ἐρεύθεται ἀκτίνεσσι, nisi credimus Vergilium ignorasse, alium esse auri fulgorem, alium aeris. Ipsa illa vox « caerulea » docet, hoc loco agi de colore nubium, quae tempestate oriente caeruleae congregatae sub adversi solis radiis peculiariter micant fulgore, neque negari potest, huic colori aptissime comparari thoracis aenei splendorem coruscum.

### Arena.

De copia similitudinum ab arena de promptarum eadem dicenda sunt, quae supra diximus de imaginibus, quae siderum spectant multitudinem. Locos, quibus haec imago usurpata est, hosce inveni: (B, 800: I, 385); CALLIM. (*h. in Dian.* 253) Έπι δὲ στρατὸν ἵππημολγῶν ἥλασε Κιμηρίων, ψαμάθῳ ἵσον. — *Frag. adesp.* Bergk, 94: οὐ ψάμμος ἢ κόνις τόσσον ἄν χενεῖται ἀριθμόν.

CAT. (7, 3):

Quam magnus numerus Libyssae arenae lasarpiceris iacet Cyrenis oraculum Iovis inter aestuosum et Batti veteris sacri sepulcrum.

Ceteri loci, quibus ea imago invenitur, sunt CAT. (61, 202); HOR. (c. I, 28, 1); VERG. (*Georg.* II, 105); OV. (*a. am.* I, 245), (*met.* XI, 614; XIV, 137; *trist.* I, 5, 47; IV, 1, 55; V, 1, 31; V, 6, 43).

Praeterea huc revocandi sunt versus, qui leguntur in *Am.* (II, 19, 45):

Ille potest vacuo furari litore arenas,  
luxorem stulti si quis amare potest;

nam quae hic spectatur, vilitas arenae ex copia sequitur. Fortunam arenae comparat OR. (Ib. 419):

Utque per alternos unda labente recursus  
subrahitur presso mollis arena pede,  
sic tua nescio qua semper fortuna liquescat,  
lapsaque per medias efflat usque manus.  
(*Sequetur.*)

ALEXANDER AURELI.

## NAPOLEONIS BONAPARTE COMMEMORATIO.

SAECULARI DIE RECURRENTE  
EX QUO VITA MIGRAVIT

Hoc anno labente, non eodem equidem saeculo neque die, Itali, maximis laudibus, clarissimorum virorum dies anniversarios ab eorum obitu varie concelebrant. Qui vero nobis est aetate propior, cuiusque memoria mentibus est adhuc vividior, est utique, omnium opinione, Napoleo ille Bonapars, qui praeclaris gestis ex humili loco ad supremum Gallorum imperium pervenit. Hunc autem Corsica in insula natum esse, remque militarem adamasse, et florente adhuc aetate, admirantibus omnibus, summum gloriae fastigium attigisse, narrare rem plane inutilem credo, quoniam constat apud omnes et in primis apud Italos. Iuvat tamen obiter dicere, quam arte tantam sit gloriam adeptus.

Sub exitum saeculi decimi octavi, quum Galli apud Nicaeam in asperrimis montium iugis multos milites amisissent, ad incitas erant redacti. Tunc incredibilis subita rerum mutatio facta est, quum Italianam provinciam Quinqueviri, quibus Galliae res fuerat permissa, Bonaparti mandant, cuius ingentes iam tum supra fortunam spiritus, pares tanto inceptui videbantur.

Qui quidem primo vere anni millesimi septingentesimi quinti et nonagesimi,

milites avaritia superiorum ducum attritos, omnibus rebus instruit, et spe victoriae accedit. Hostili animo Millesimi fauces in subalpinis et Cosseriam Castellum magna vi expugnat, crebris deinde certaminibus, disiectis pulsisque ante se foederatis, ubique insistens, ubique improvisus, per infimas Alpes haud procul a Taurinis in planitiem irruptit.

Tunc saevae illae ad Clarascum induciae factae, per quas munitissimae arcis Subalpinorum hosti traditae sunt, iterque Gallis in Italiam patefactum.

Hoc ad gloriam, mox ad imperium initium.

Mirum dictu est, quam licenter impotens ille Napoleonis animus, ad incredibilia et nova omne studium quotidie conserret. Italiam universam perpetuis victoriarum est adeptus; et ad maiora elatus, Aegyptum occupavit. Deinde quum magnas spes faceret, de reditu in Galliam cogitat, et dissimulato consilio, per Alpes impressionem in Italiam facit, atque ad Marecum in Subalpinis illustrem de Melas, copiarum Caesaris imperatore, victoriam cruento marte retulit, et omnes Italiae aditus cunctaque Italianam intensius observat.

Sed non minus admiratione fuit Napoleon, qui novis omnium semper copiis quam celerrime comparatis, citius opinione ad certamen redibat. Victis undique hostibus, de cunctis Europae regibus victoriam retulit.

Imperator Gallorum renuntiatus, anno saeculi elapsi quarto, sacrorum solemnibus initiatur atque incredibili laetitia eum restitutorem felicium saeculorum populus salutat. Sed gloria insatiabiliter exsaturatus, sive ita ferret novi regni necessitas, sive quod belli scientissimus, certaminum aleam cupidius adiret, Europam assiduis contentioibus attrivit, ex quo, congregatis demum regum et populorum viribus, suo ipse conatu percussus est.

Namque vir sane mirabilis exstitit, in

quo summa omnia praeter animi moderationem fuerunt abunde.

Tanta autem tamque subita virium accessione, Napoleo ad summam amplitudinem pervenisse videbatur; quum repente fortuna saevire eiusque consiliis coepit obluctari. Namque omnes, ut diximus, undique reges atque populi, quasi signo dato, adversus illum insurgere, bello tentare, alii alia de causa florentem eius directionem inhiare, eumque regno expoliare atque ad Illyam insulam in exilium mittere.

Brevi inde dilapsus iterum in Parisiorum urbem triumphans invehitur.

At omnes vel ipsa rustica multitudo, emeritis iam stipendiis, satis habebant, si pauperculum larem a praedatoribus defenserent: plebs vero urbana vel in opificiis inclusa, vel mercaturis intenta, omnia bello potiora ducebat. Nec enim parvi intererat foederatos hanc spem populis obiicere, ut bellum pacandae Europae causa suscep- tum, ipsa necessitate pium nedum iustum videretur. Hisce praepositis asperrime belatum est ad Waterloo apud Belgas, ubi res Napoleonis fractae sunt ac profligatae.

Gloriosius tunc depositus imperium, atque exulando, Europae quietem, Galliae pacem redditurum se esse sperabat. Demum omni spe destitutus, nec perperam de hostium generositate diffidens, Anglis securior se commisit, qui opportunatatem nacti, ne formidulosus hostis iterum auferret, ad insulam maris Oceani remotissimam, cui est nomen a Sancta Helena, eum sub custodia miserunt.

Incredibile dictu est quam dure quamque crudeliter eum habuerunt. Sed e contra aequo ipse animo asperrima quaeque pertulit.

Extremo suo tempore, labente in dies valetudine, diuturnis doloribus afflictatus, memorabilis constantiae exemplum omnibus reliquit, atque aeterna spectans in Domino quievit III Non. Maias MDCCXXI.

SENIOR.

## IN DIEM V MAI

QUA DIE A. MDCCXXI OBIIT NAPOLEO

CARMEN MANZONIANUM

LIBERIORE MUSA LATINE REDDITUM

*Vixit vir acer; nunc iacet, halitu  
ducto supremo, mutus, iners, rigens:  
quo nuntio perculta tellus  
adstupet, ac tacitura secum*

*horam revolvit Caesaris ultimam;  
mirans, oriri si queat altera  
par magnitudo, quae gigantis  
curriculum relegat cruentum.*

*Vivo negavi carmina principi;  
nec musa iunxit se mea vatibus,  
qui fulgidum, qui nube tectum,  
rursusque clarum, sive tandem  
occiduum cecinere solem.<sup>1</sup>*

*Servilis aeque laudis et improbi  
livoris insons, nunc ego, funebri  
afflatus aura, carmen edo  
forsan in omne superstes aevum.*

*Mars ille flammans fulgura, fulmina  
vibrabat, Alpes et Pharaonicas  
quassura moles, Vistulamque  
Rhenumque turbatura et Istrum,  
Oceanique sinus profundos.*

*Haec vera numquid gloria? Senior  
decernet aetas. Nos decet aetheris  
Regem vereri, quo creante,  
Hoc nituit tonuitque fulmen.*

*Servire visus, clam diademata  
et sceptra miles cogitat, appetit;  
vincente tandem spe timorem,  
audet, et imperio potitur.*

<sup>1</sup> Ut strophas Manzonianas, sex versibus constantes, redderem, interdum hisce meis strophis Alcaicis quintum versiculum inserui.

*Arrisit illi laeta diutius  
Fortuna, palmis prodiga bellicis;  
tum fastuosum spernit, et aureo,  
bis commodato, bis adempto,  
despoliat solio frementem.*

*Viri potentis nomen ut insonat,  
mox bina cultu dispere saecula  
pugnare cessant. Iussa quiescere,  
morem gerunt, immota tamquam  
Fata per illius os loquantur.*

*Devictus, arctam trusus in insulam,  
novit colentes, novit et invidos,  
immensa quos, utrinque flagrans,  
vis odii vel amoris urit.*

*Ut mersus alto naufragus aequore,  
(quod, nave nuper sospite, viderat  
patere late) nititur obviis  
adnare terris; sed, resorptus  
vortice, deficit heu! peritque :*

*sic imperator, pristina tempora  
volvens, fatiscit, fluctibus obrutus;  
quae gessit olim, scribere centies  
tentat: sed eheu! lassa dextra  
in vacuas recidit tabellas.*

*Quam saepe, segnis dum moritur dies,  
ignita claudens lumina, brachiis  
in pectus adductis anhelum,  
stat tacitus, veteresque mente*

*scenas revisit: castra moventia,<sup>1</sup>  
hostes fugatos, agmina militum,  
turmas equorum, iussa demum  
vix data, continuo peracta!*

*Haec dum, senescens, gesta recogitat,  
adversa quae sors reddidit irrita,  
exspes labascit; sed labantem  
excipit ulna libens amici;*

<sup>1</sup> Movens sensu passivo, seu reflexo, quo sensu dicuntur res moventes, i. e. mobiles, se moventes.


*qui christiana spe fovet exsulem,  
dum regna pandit florida caelitum  
et gloriam, qua fulgurante,  
terrigenum decus omne sordet.*

*Gaudet, triumpha, Christiadum Fides!  
En Golgothaem Dedeceus, arbiter  
victorque regum, fronte prona  
Caesar adit, veniae precursor.*

*Crux alma Christi, ne, precor, aspera  
vox ulla fessis incidat ossibus!*

*Mortem gementis tu beasti,  
quae sternis una surrigisque:  
docta ferire, sed et mederi.*

FRANC X. REUSS.



## DE ARTE PHOTOGRAPHICA

Memineris te legisse in primo huius anni fasciculo de encyclopaedia Latina conficienda, neque dubium est, quin eius tibi operis placuerit utilitas. Rem quallem vellem, quo cognosceres accuratius, statueram monstrare exemplo.

Habes igitur de re photographica expositiunculam non hercule omnibus absolutam numeris, - ad copiosius atque subtilius scribendum deerat tempus - sed talem, ut possis quam mente conceperissem operis rationem, suspicari.

Dixi de re photographica rem fore. Sed quoniam in ea describenda necessario adhibebantur voces, quarum grata esse videatur definitio, ordine litterarum vocabula a me proposita atque circumscripta sunt eo fere modo, quo in encyclopaedia tractanda essent. Res mihi nata sic est:

*Bromum.* - Elementum chymicum, id est corpus simplex; liquor ruber, venenosus. Fervescit ad sexagesimum tertium gradum Celsii, densos diffundens gravesque vapores. Percipitur ex aqua marina.

Nomen habet ex foetore, qui graece βρωμός dicitur.

*Collodium.* - Est pyroxylinum alcole et aethere dissolutum. Gignitur sic: Xylinum diligenter purgatum sit. Septem partibus acidi salis petrae misceantur octo acidi sulfurici partibus. Quum refrixit mixtio, pars xylini inlatum vitro baculo tota mergatur acido. Sic stet diem dimidium vel integrum. Postea xylinum, quod nondum mutatum videtur, vase eductum diligenter, ut omnes acidi reliquiae purgentur, perluatur aqua.

Iam in minutos floccos divulsum sicandum exponitur aëri. Postremo huius xylini parti uni tres partes alcoholis infunduntur, deinde aetheris partes duodeviginti. Nunc vase agitato solvitur xylinum in liquorem syrupeum, viscosum, pellucidum, qui evanescere aqua abit in pellucidam tenuemque pelliculam, qua utimur ad claudenda vulnera, et ad artem photographicam.

*Gelatina.* - Est corpus compactum simul et molle, tremulum, pellucidum, ex plantis quibusdam vel ex animalium partibus decoctum.

*Heliographia.* - Est ars sculpendi radiis admotis solaribus.

*Iodum.* - Elementum chymicum ex colore violaceo, qui graece ιοειδής nominatur, appellatum est. Splendore est metallo simile, Facile diffunditur. Calefactum dat vapores violaceos. Extrahitur ex cineribus algarum.

*Microphotographia.* - Dicitur photographia rerum microscopicarum.

*Obiectivum.* - In re photographica dicuntur lentes crystallinae, quibus excipiuntur rerum exprimendarum radii.

*Photochymia.* - Chymiae pars, quae est de actione chymica lucis.

*Photographia.* - Ars producendi per vim chymicam lucis permanentem rei alicuius similitudinem in lamina chymice praeparata.

Eius rei, quum breviter proposuero historiam, monstravero rationem.

Nomina igitur eorum, qui artem photographicam vel invenerunt, vel inventam reddiderunt perfectiorem, sunt haec: Ioannes Schulze, Wedgewood et Davy, Nicéphorus Nipce, Daguerre, Talbot, Nipce de Saint Victor, Fry et Archer, Benneth.

Iam alchymistae noverant chloratum argentum expositum luci alium ducere colorem.

Ioannes Schulze anno 1727 conatus est litterarum formas excisas ex charta crassiore in sedimine argenti per solares radios exprimere, quibus experimentis nihil tributum est.

Vegevodus et Davius anno 1802 sic conati sunt rerum producere imagines. In charta soluto argento perluta ponebant rem obscuram, verbi gratia imaginem umbraticam, exponebantque luci. Tum partes non tectae in fuscum abibant colorem, loco obiecto imagine permanente albo. Neque tamen diu eae imagines manebant, quoniam eadem lux ablatae imaginis locum decolorabat.

Anno 1826 Nicéphorus Nipcius et cameram obscuram introduxit aliamque coepit soli opponere materiam, bitumen solutum oleo lavendulae. Hoc infundebat bracteae, quam complures horas imponebat camerae. Quas crustae partes lux tigera, adeo indurescebant, ut resisterent, quibus postmodum lavabantur oleis aetheris.

Nipcius anno 1829 societatem fecit cum Daguerrio. Hic, illo mortuo, quod uterque dum contenderat, solus effecit, ut imagines luce immissa redderet permanentes. Adhibebat argentum iodatum, ita paratum, ut bracteam argenteam mitteret in vapores iodi.

In bractea quidem ex camera extracta nulla initio lucis apparebat mutatio. Sed quum dederat bracteam in vapores mercurii, quoniam mercurii particulae adhae-

rebat illis dumtaxat laminae locis, quae tactae luce fuerant, eoque adhaerent crebriores, quo fortiores lucis fuerant radii, iam imago distincta partibus omnibus conspiciebatur.

Qui ante Daguerrium operam dederant rei photographicae, luce sola imaginem obtinere studuerant apparentem; quam, ut consequerentur, rem exprimendam luci exponebant multas horas continuas. Daguerrius hoc novum instituit, ut bracteae breviter expositae imagini nondum apparenti, educationem, vel evolutionem, vel explicationem adderet.

Sic exprimi photice potuerunt aliquando res motae. Imago educta confirmabatur, vel, ut artifices dicunt, figebatur ita, ut amoveretur argentum iodatum natro sub-sulfurico.

Quo tempore Daguerrius académiae Parisiensi primam proposuit imaginem photicam - id est anno 1839 - Talbotius regiae societati Londinensi aperuit, qua ratione imaginum darentur exemplaria. Nam Vegevodium secutus, chartam sale culinario tintacum mittebat in argentum solutum. Imbibebat igitur charta argentum chloratum et argentum nitratum simul et oxydatum, quae res luce mutantur facillime. Huic chartae imponebat imaginem aeri incusam, utramque exponebat soli.

Hic mittebat radios per alba imaginis loca; qua re colorabantur quae partes chartae istis albis imaginis locis subiacebant. Exsistebat imago negativa, quae dicitur, quaeque rursus imposta chartae generis eiusdem, positivam dabat imaginem.

Sic ex una imagine negativa multas obtinebat positivas, ut ex illo tempore photographia copta sit adhiberi ad imagines multiplicandas.

Postea, ubi Daguerrii cognita ratio est, Talbotius etiam in cameram chartam mittere coepit et quidem mersam iodato calcio et liquenti argento, ut iodatum argentum

resideret. Sic brevi intervallo accipiebat rei imaginem; sed nondum apparentem. Evolvebat, quo nitratum solvitur argentum, acido gallico.

Et niger argenti pulvis, mirum, adhaeret illis tantum partibus, quae solis radiis sunt tactae. Tales imagines, si umbram et lucem consideres, inversae sunt, vel negativae. Sed ex his obtainitentur positivae quamvis multae, si imponitur charta chlorato argento tincta.

Habebant tamen Talbotii imagines negativae hoc incommodi, quod charta, licet obducta cera esset, non erat tam laevis quam argentum politum. Sed etiam huic incommodo est occursum.

Nipsius enim a S. Victore anno 1847 vitrum coepit obducere argento iodato fixo albumine. Qua re, etsi exactae efficiebantur imagines, hoc erat iniquum, quod alumen facile solvitur.

Itaque Fry et Archer anno 1851 sales fixere colludio. Hic enim bracteas vitreas obductas colludio, cui soluti iodi et bromi sales additi erant, in solutum argentum dedit. Sic in vitro haerere coepit pellicula argenti iodati et bromati lucis radios facile recipiens.

Hae bracteae missae in cameram, postea evolutae, imagines referebant negativas mirifice distinctas. Daguerri ratione omissa, collodium adhibebatur, quem gelatina introducta est.

Inventum enim erat, gelatinam posse adhiberi pro colladio. Quae simul soluta est aqua calida, accipit sal bromi et sal argenti, tamque diu eluitur emulsio, quam ex salibus restat, quod solvi possit.

Tandem illinitur bracteis vitreis, quae locis obscuris siccabantur.

Haec ratio nihil initio videbatur adferre emolumenti. Sed Bennettus a. 1878 repperit emulsionem gelatinæ, si diutius calefiat, adeo recipere lucis radios, ut collodium superetur vices, multoque gelatinam posse diutius conservari.

Iam igitur omnia plena sunt siccaram laminarum gelatinearum, magnoque nunc usui est photographia artibus ceteris, literis, terrae exploratoribus.

Atque illud per se patet, etiam photographicam artem, non minus quam artes omnes, in dies evadere perfectiorem. Inventa iam est ratio ad recte exprimendos rerum colores varios et ad evitandam coloris photographici mutationem. Inventae sunt viae ad multiplicandas imagines, ut ars pigmentaria; inventa est photographia momentanea, microphotographia, telephotographia, heliographia, photolithographia; aliaeque artes photochymicae exstiterunt, quas suis locis descriptas videbis.

Hic nihil iam est reliqui, nisi ut paucis verbis explicemus photographicam actionem.

Opus in primis est apparatu, vel machina, quae vel manu teneatur, vel tri-pode. Et sunt hodie apparatus tam exigui, ut nobiscum in sinu vestimentorum circumferre possimus.

In apparatus mittimus bracteam vitream aut pelliculam. Haec cum adhoberi possit in luce plena commodior fere est.

Itaque ad rem photographice exprimendam, ante cetera apte collocabimus apparatus ante ipsam rem. Tribus ex partibus constat machina: ex obiectivo, folle plicatili, bractea diluta. In hac quum res satis appareat distincta - et hoc ab artificibus saepe examinatur capite panno nigro obvolo - immittitur vitrum vel membrana obducta argento bromato.

Remoto obiectivi operculo lux intrat partim fortior, partim lenior prout resplendet ab re exprimenda.

Exemptam bracteam transferimus in locum rubra respersum luce, ubi balneo expicatorio imaginem educimus atque figimus. Illa paulatim appetit, sed inversa.

Positivam ut obtineamus imaginem, chartam photographicam applicabimus ex

parte gelatinata, ipsamque bracteam inclusam replo pressorio offeremus luci diurnae, non tamen solari.

Interdum remota pressorio parte inspiciemus, si optatum charta traxerit colorem, si impressa satis sit imago. Ipsa charta, ubi idoneum nacta colorem est, diligenter versabitur in balneo fixorio, dum omne evanuit argentum; quod ni faciamus, in fuscum postea abeat color.

Postremo crassiori chartae adglutinatur imago visco calefactoque pressorio afficitur splendore.

*Photolithographia.* - Est ars lithographica; linea menta autem rerum lapidi inimuntur viis photographicis.

*Telephotographia.* - Est ars recipiendi imagines photicas rerum longinquarem.

Et haec satis ad latinae meae encyclopediae exemplar exhibendum.

St-Wendel, Saar.

A. HABERL.

## COMMUNIA VITÆ

### De officiis<sup>1</sup>

- A Titio mihi est factum (dictum) convicium. - Titius me convicio affecit (petit; pupugit). - Titius male dictis me lacerat (proscindit; incessit; exagitat; vexat). - Titius probris omnibus me oneravit (conviciis insectatus est; verberat; persecuitur; operit atque opprimit; concidit). - Titius in me turpiter debacchatur. - Titius in me voces contumeliosas iacet (immittit; confert; congerit; coniicit; intorquet; probra ingerit). - Titius me contumeliose adhibet (ore impudenti, maledicta in me evomit; deblaterat; effutit). - Titius me maledictis saturavit (lancinavit; in me

insaevit): in meo animo resedit illorum verborum aculeus (non mediocriter animus meus motus est verborum illorum acriore stimulo). - Molestius me tetigit (feriit; percult; momordit; pupugit) Titii vocum sensus.

A Titio mihi illata est iniuria atrox (contumelia gravis). - Indignum (piaculare) facinus (scelus nefarium; crimen inexpiable) in me a Titio patratum est. - Expositus sum Titii iniuriis (ludibriis). - Odium, quod in me Titius conceperat, erupit (effudit; evomuit; profudit). - In me Titius conspirat. - Conspiratione facta a Titio lacessor (imperator; incensio); tu iniuriam pro me persequaris (ultionem iniuria capias; sumas). - Tu fac ut iniuria haud inulta evadat (habeatur). - Iniuriam a me depellas (avertas; amoliras). - Fac ut possim iniuriam ei repnere (par pari referre). - Qua ratione illata mihi iniuriam eum aequa tractem? - Iniuriae ei quam rationem reddam?

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

## EX BATAVIA

### De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXX.

Accepimus, et libenter edimus:

In certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXX praemium aureum reportavit FRANCISCUS SOFIA ALESSIO, Radicenensis, qui carmen cecinit cui titulus *Asteriæ*. Post hoc, magna laude ornata, sumptibus legati in lucem haec edentur carmina:

*Regnum paupertatis - Telemachus - Arminius - Davi redditus ad inferos - Optarim pro bile iecur tibi Flacce moveri - Epistola Flori ad Horatium - De velivolo curru, si poëtae ad tempus sci-*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

dulae aperiendae dederint veniam, quod iam fecit Carolus Bianchini, qui carmen misit c. t. *Davi redditus ad inferos*.

C. VAN VOLLENHOVEN,  
Ord. lit. Acad. Reg. Neerl., praeses.

Clarissimo socio nostro FRANCISCO SOFIA ALESSIO, in hoc poëtarum ex omnibus nationibus certamine tertio vitor renunciatus, gratulamur ex animo; pariterque socio alteri nostro ALAFRIDO BARTOLI, quem nobis proferre licet esse Auctorem carminis magna laude ornati, cui titulus: *Epi-stola Flori ad Horatium*.

A. R.



## ANNALES

### Germanicum cum foederatis vi-toribus nationibus discrimen.

In superiore eventuum menstrua re-censione nostra retulimus, spretis Germanicis propositionibus de summa sol-venda ad belli damna resarcienda, victores foederatas nationes, iuxta terminos Ver-saliensis foederis, ad occupationem nonnullarum Germanicarum urbium processisse, maiora minitantes, si Germani succum-bere tempori ulterius devitarent. Qui qui-dem ad foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis gubernium confugerunt, eius intercessum in hoc discriminare invoca-tes. Illud vero huiusmodi subsidium Germanis negavit, imo eos tamquam belli autores aperte et ipsum recognovit, qui-bus igitur damna pro viribus resarcienda essent. Novus itaque Londinensis con-ventus ad rem prorsus definientam nun-ciatur.

\*\*

### Graecorum bellum cum Turcis.

Qui exitus revera belli, quod in Asia minori inter Graecos Turcasque geritur, fuerint, narrare difficile est; hinc altera,

inde altera parte victorias suas celebrante. Id unum certum videtur, Graecos copias suas intra Brussae fines retrahere de-buisse, quamvis proximis hisce diebus nunciarunt inde novam in hostem offenditionem sumpsisse. De Graecorum autem animo circa Smyrnae possessionem, ar-gumento sit effatum, quod in Graecorum omnium ore est: « Smyrnae sumus, Smyr-naeque manebimus: victoria enim et certa et proxima est ».

Ceterum administratorum collegium, cui Calogeropoulos praeverat, a munere se abdicavit, aliudque suffectum est, praeside Gunaris.

\*\*

### Ex Hungaria.

Quae suspicabamur de Hungarici regni restituzione effecta sunt: die enim iv mensis Aprilis, termino a foederatis nationibus Hungarico gubernio constituto ut Carolum, quondam regem ex patriae finibus arceret; nisi id faceret militares sanctiones adhibitum iri; Carolus in Hel-veticum exilium suum redidit.

\*\*

### Funera.

Et superiore mense Aprili regia funera conquesti sumus. Nempe Augusta Victoria de Slesvig-Holstein, a mense Februario MDCCCLXXXI uxor Gulielmi II, Germanorum quondam Caesaris, extorris patria, Doorn, Bataviae in oppido, fato con-cessit. Nata erat Dolzigi die XXII mensis Octobris MDCCCLVIII, magna pompa in Germanorum Imperatorum conditorio apud Berolinum, ita concedente gubernio, sepulta est.

Kalendis Maiis MCMXXI.

### POPULICOLA.

*Nunquam est virtus patientia in prosperis; ille vero patiens, qui adversis conteritur, et tamen adspectu suae rectitudinis non curvatur.*

S. BERNARDUS.

## VACUI TEMPORIS HORA

Hisce diebus, prima centenaria die re-currente ab obitu Napoleonis illius, qui haud immerito « bellicum fulmen » appellatus est, diaria omnia de eo plena sunt, et quidem in utramque partem: Non ita-que alienum erit si et nos eius memoriam, quamvis ad morem nobis gerendum, re-vocaverimus. Scilicet **de singulari qua-dam Napoleonis intemperie** dicere volu-mus.

Haec fuit nicotianae pulveris olfaciendi voluptas, quae cum plurium simul rerum avocatione coniuncta, eo saepe saepius illum adduxit, ut alienum vas unde tabacum hauriret, non amplius domino redderet, sed suum faceret. Ecquis autem ab eo repetere auderet? Atqui evenit olim ut histrio quidam, qui unicus esset ad habitus gestusque aliorum imitandos, ut speci-men comicae artis suae Imperatori pre-beret, ipsi deferretur.

Qui postquam non sine iucunditate au-licos aliquot ad vivum effectos ab histrione illo fuit admiratus, eum rogavit numne et ipsum Imperatorem reddere sciret. As-sentitus est alter, sed quo omnibus numeris eum reddere posset, ab Napoleone quae-sivit ut nicotianum vas, quod gemmis pulcherrimis ornatum viderat, sibi trade-ret. Hoc accepto, Imperatorem nicotianam pulverem nervose naso adducentem optime effinxit; deinde in sinum vase immisso atque capite coram adstantibus inflexo, prouti salutationis mos erat, ad aulae ostium festinanter perrexit. Tum Napoleo et qui circum: - Heus tu, furcifer, obli-tus ne es nicotianae pulveris vas restituere?

Quibus ille: - Ecquando Napoleo quae-huiusmodi vasa in manibus habuit, resti-tuit? - Abiitque.

Risit Napoleo, atque versutum com-moedum non vase tantum, sed multa pecunia donatum dimisit.

\*\*

Bernerius hodie ad **sacram mensis Maii consuetudinem** adducit, quae nisi in urbibus, multis apud nos in pagis per-mansit, mutatis, certe, mutandis. Parva nempe describuntur ab eo altaria, quae mensis Maii festivis diebus a pueris et puellis eriguntur in viis, atque lepidae scenae quae circum agitantur; a quibus, suo more, moralia monita trahit.

Eum itaque audiamus:

Visa decora canam festivis acta diebus

Mensis, qui Maius dicitur, a pueris.

Ante domus limen, primum ergo sedilia fir-

[mant,

Inde tegunt albis undique linteolis.

His tabulam super imponunt, ubi picta videtur

Sanctorum effigies, sed rude cernis opus.

Dein parvam roseis adspargunt frondibus

[aram,

Atque illis, etiam quae est prope, floret

[humus.

Ecce viatores cernit fortasse puella;

Tunc festiva gradus ocios illa movet.

Capsulae inest eius manibus pars infima:

[nummos

Altari, civem consociando, petit.

Audit qui properat, nummisque carere fatetur;

Instans non credit, sed petulanter ait:

- « Quaeso tuam caute scrutetur dextra cru-

[menam;

Invenies; nummos intus habere scio ».

Ille, iterum: - « Quid habes, mihi crede, pe-

[cunia nulla est ».

- « Mi domine - haec replicat - si bene

[quaeris, erit ».

Ille abit, haec sequitur; silet unus et altera

[verbis

Verba addit; sed nil verba precesque iuvant.

Tunc alibi aggreditur civem, occurrendo,

[puella,

Prolixa huic vestis serica membra tegit.

Illa statim: - « O domine Abbas illustrissime,

[quaeso,

Quadrantem aera des huius in obsequium ».

Iste tumens titulis quos audit, quosque mereri  
Audacter simulat, prodigus esse solet.

Quae mercedem habuit fit laeta puella, recedit,  
Ostendit sociis, indicat: - « Ille dedit ».

Hae subito accurrunt, circumdant undique  
[euntem;

Orare incipiunt, subsidiumque petunt.

Vulgari interea resonantia carmina rythmo

Harum aliquae recitant, quae didicere prius:  
- « Non transire datur, si parva moneta ne-

[gatur:

Care et pulchre, ave; tu mihi, quaeso, fave;  
Nummos ni praebes, non hinc discedere de-

[bes;

Quadrantem tradis? Postea liber abis ».

Omnibus iste negat stipendia singula, spondet

Uni quadrantem: porrigit illa manum.

Ast aliae impediunt; se extendit quaelibet;  
[ille

Sorti concedit, proicit et properat.

Inter consocias en pugna est orta, puellae

Sese concutiunt. Haec capit, illa rapit.

Dedecet hoc nimium, nam fit iactura pudoris,

Sic nempe hae discunt absque rubore loqui.

Qui sapit, aetatis primaevos corrigit annos,

Ne aetas indocilis fiat adulta magis.

Difficile est habitum, quem actus fecere fre-

[quentes]

Tollere: naturam tunc nimis ille sapit.

Sic cito debemus contracta venena mederi:

Nam si convaleant, quid medicina iuvat?

\*\*

### Locosa.

Tuccius de antiquis Aegyptiorum moribus a magistro interrogatur:

- Quid sunt gabarrae?

Tuccius tacet. Instat magister:

- Euge! ... Neminem de gabarris loquenter unquam audisti? ... Num huiusmodi nomen nunc primum ad aures tuas pervenit?

- Minime quidem, ut verum dicam.  
Audivi interdum fratrem meum natu maiorem socrum suam hoc nomine indicare...

Sequitur de Aegypti historia Tuccii periculum.

- Dicas igitur quid Hebrei fecerint mare praetergressi Rubrum.

- Hoc profecto nil facilius. Hebrei mare Rubrum praetergressi, sese ad sollem arefecere!

\*\*

### Aenigmata.

I

O NE RAES RAES RAES  
BE BIAS RAES et RAI M RAM RAI M

II

*Primum* alit affectus; letho dat triste *secun-*

*dum*;

*Coniunctim* antiquo nomine *Cyrnus* erat.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Maro, Roma;*  
2] *Mus-tela.*

IOSFOR.

## ROMA SACRA

**SS. D. N. Benedicti PP. XV epistola encyclica ad doctores et alumnos litterarum artiumque optimarum orbis catholici saeculo sexto exeunte ab obitu Dantis Aligherii.**

In praeclara summorum copia hominum, suo splendore et gloria fidem catholicam illustrantium, qui cum in omni genere, tum prae-assertim in litteris disciplinisque optimis ita sunt versati ut, immortalibus facultatis suea editis fructibus, de civili societate aequa ac de Ecclesia bene meruerint, singularem plane Dantes Aligherius locum obtinet, cuius ab obitu plenus mox erit annus sexcentesimus. Profecto huius viri praestantia excellens nunquam fortasse alias testatior fuit quam hoc

tempore; nam ad eius ornandam memoriam non modo sese alacris comparat Italia, cui de tali sobole gloriari licet, sed apud omnes, quotquot sunt, excultas ad humanitatem gentes novimus propria quaedam constituta esse eruditorum consilia ob eam causam, ut hoc humani generis insigne decus communis orbis terrarum praeconio celebretur.

Iamvero tam mirifico quasi choro bonorum omnium non solum non deesse Nos detet, sed quodammodo praeesse, quandoquidem Aligherium in primis et maxime Ecclesia parens agnoscit suum. Quum igitur sub exordium Pontificatus epistolam ad Archiepiscopum Ravennatum dederimus de templo in Aligherii saecularia decorando, quocum monumentum sepulcri eius continens est, nunc, ea ipsa sollemnia tamquam ausplicantibus, visum est Nobis, dilecti filii, qui, Ecclesia advigilante, in litterarum studiis versamini, vos alloqui universos, quo faciamus vel planius, quanta intercedat Aligherio cum hac Petri Cathedra coniunctio, quamque sit necesse laudes, tanto tributas nomini, in fidem catholicam haud exigua ex parte redundare.

Ac primum, quoniam hic noster in omni vita catholicam religionem in exemplum est professus, ipsius votis consentaneum videtur, quod intelligimus futurum, ut, religione auctrice, sollemnisi eius commemoratio fiat, et ea exitum quidem Ravennae habeat ad Sancti Francisci, sed initium capiat Florentiae ad Sancti Ioannis, de qua aede pulcherrima ipse, prope iam acta aetate, acri cum desiderio recognitabat exsul, optans scilicet et cupiens ibidem poetica lauream de salutaris lavacri fonte suscipere, ubi infans rite fuisse ablatus. - Quum in eam incidisset aetatem, quae philosophiae divinarumque rerum studiis floraret, doctorum scholasticorum opera, qui lectissima quaque a maioribus accepta colligerent, subtiliterque ad suam rationem revocata posteris traderent, is, in magna varietate disciplinarum, secutus est maxime Thomam Aquinatem, Scholae principem; eoque magis

alia esse prorsus atque illi iudicavissent, manet tamen hanc rerum universitatem, quoquo eius partes regantur ordine, eodem administrari nutu, quo est condita, Dei omnipotentis, qui omnia, quaecumque sunt, moveat et cuius gloria plus minus usquequa eluceat: hanc autem terram, quam nos homines incolimus, licet ad universi caeli complexum iam non quasi centrum, ut opinio fuit, obtinere dicenda sit, ipsam tamen et sedem beatae nostrorum progenitorum vitae fuisse, et testem deinde tum eius, quam illi fecerunt ex eo statu, prolapsionis miserrimae, tum restitutae, Iesu Christi sanguine, hominum salutis semipiternae. - Ergo triplicem animarum vitam, quam cogitatione finxerat, sic explicavit, ut declarandae, ante extremum divini iudicii diem, vel damnationi reproborum, vel piorum manium purgationi, vel beatorum felicitati clarissimum lumen ab intima fidei doctrina petere videatur.

Iam vero ex iis quae cum in ceteris scriptis, tum praesertim in tripartito tradit carmine, haec potissimum putamus bono esse posse hominibus nostris documento. Primum Scripturae Sanctae summam deberi a Christiano quoque reverentiam, summoque cum obsequio oportere accipi quidquid ea continetur, ex eo confirmat quia *quamquam scribuae divini eloquii multi sint, unicus tamen dictator est Deus, qui benefacit suum nobis per multorum calamos explicare dignatus est.*<sup>1</sup> Quod sane pulcre est verissimeque dictum. Itemque illud, *vetus et novum Testamentum, quod in aeternum mandatum est, ut ait Prophetas, habent spiritualia documenta quae humanam rationem transcendunt, tradita a Spiritu Sancto, qui per Prophetas et Hagiographos, qui per coaeternum sibi Dei Filium Iesum Christum et per eius discipulos, supernaturalem veritatem ac nobis necessariam revelavit.*<sup>2</sup> Rectissime igitur de eo quod mortalis vitae cursum sequetur, aeo sempiterno

« nos certum habemus, ait, ex doctrina Christi « veracissima, quae Via, Veritas et Lux est: « Via quidem, nam ea ipsa ad immortalitatis « beatitudinem nulla re impediti contendimus; « Veritas, quia omnis est erroris expers; Lux, « quia nos in mundanis inscitiae tenebris illu- « minat ». <sup>1</sup> - Neque is minus colit atque observat *veneranda illa Concilia principalia, quibus Christum interfuisse nemo fidelis dubitat.* Ad haec, magni etiam ab eo fiunt *scripturae doctorum Augustini et aliorum, quos, inquit, a Spiritu Sancto adiutorum qui dubitat, fructus eorum vel omnino non vidit, vel, si vidit, minime degustavit.*<sup>2</sup>

Ecclesiae vero Catholicae auctoritati mirum quantum tribuit Aligherius, quantum Romani Pontificis potestati, utpote ex qua quaevis Ecclesiae ipsius leges et instituta valent. Quare nervose illud christianos admonet, quem utrumque Testamentum habeant simulque Pastorem Ecclesiae a quo ducantur, his ad salutem adiumentis contenti sint. Ecclesiae igitur malis sic affectus, ut suis, omnemque christianorum a summo antistite affectionem deplorans et exsecrans, Cardinales Italos, post Apostolicam Sedem Roma translatam, ita alloquitur: *Nos quoque eundem Patrem et Filium, eundem Deum et hominem, nec non eandem Matrem et Virginem profientes, propter quos et propter quorum salutem ter de caritate interrogato, dictum est: Petre, pasce sacrosanctum ovile; Romam, cui post tot triumphorum pompas et verbo et opere Christus orbis confirmavit imperium; quam etiam ille Petrus et Paulus, gentium praedicator, in Apostolicam Sedem aspergine proprii sanguinis consecrarunt; quam nunc cum Ieremia non lugendo post venientes, sed post ipsum dolentes, viduam et desertam lugere compellimur; piget, heu, non minus quam plagam lamentabilem cernere haeresum!*<sup>3</sup> Itaque Ecclesiam Romanam vel matrem piissi-

<sup>1</sup> Mon. III, 4.

<sup>2</sup> Mon. III, 3, 16.

<sup>1</sup> Conv. II, 9.

<sup>2</sup> Mon. III, 3.

<sup>3</sup> Epist. VIII.

mam, vel *Sponsam Crucifixi nominat, Petrum autem, traditae a Deo veritatis iudicem falli nescium, cui de rebus, aeternae salutis causa, credendis agendisve, ab omnibus sit obedientissime obtemperandum. Quapropter, quamvis Imperatoris dignitatem ab ipso Deo proficiendi existimet, haec tamen veritas, inquit, non sic stricte recipienda est, ut *Romanus Princeps in aliquo Romano Pontifici non subiaceat; quam mortalis ista felicitas quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur.**

<sup>1</sup> - Optima enim plenaque sapientiae ratio, quae quidem

si hodie sancte servetur, fructus sane rebus publicis afferat prosperitatis uberrimos.

At in Summos Pontifices sui temporis per quam acerbe et contumeliose est inventus. - Scilicet in eos, a quibus de re publica dissentiebat, cum ea parte, ut opinabatur, facientibus, quae se domo patriaque expulisset. Atqui ignoscendum est viro tantis iactato fortunae fluctibus, si exulcerato animo quicquam fudit, quod transisse videtur modum: eo vel magis quod ad iram eius inflammandam non est dubium quin hominum, ut assolet, male de adversariis omnia interpretantium, rumores accesserint. Ceterum, quoniam - quae est mortalium infirmitas - « necesse est de mundo pulvere etiam religiosa corda sordescere », <sup>2</sup> quis neget nonnulla eo tempore fuisse in hominibus sacri ordinis haud probanda, quae animum eius, Ecclesiae deditissimum, aegritudine molestiaque afficerent, quem eadem viris, vitae sanctimonia praestantibus, graves, ut accepimus, querimonias expresserint? Sed enim, quicquid in sacro ordine, seu recte seu perperam, reprehendit indignabundus ac vituperavit, nihil unquam tamen detractum voluit de honore Ecclesiae debito, nihil de Summarum Clavium observantia: quamobrem in politicis suam propriam tueri sententiam instituit *illa reverentia fretus, quam pius filius debet patri, quam pius filius matri,*

<sup>1</sup> Mon. III, 16.

<sup>2</sup> S. Leo M. Serm. 4 de Quadrag.

*pius in Christum, pius in Ecclesiam, pius in Pastorem, pius in omnes Christianam religionem profitentes, pro salute veritatis.*<sup>1</sup>

His igitur religionis fundamentis quum omnem sui poëmatis tamquam fabricam excitaverit, mirum non est, si quasi quandam catholicae doctrinae thesaurum in eo conditum reperias, id est cum philosophiae theologiae que christianaee sucum, tum etiam divinarum summam legum de ordinandis administrandise rebus publicis: neque enim is erat Aligherius, qui, patriam amplificandi causa vel principibus gratificandi, negligi posse diceret publice iustitiam Deique ius, cuius in conservatione probe sciret civitates niti maxime et consistere.

Quare ab hoc Poëta mirificam quidem, pro eius excellentia, licet oblectationem petere, et non minorem fructum et eum ad eruditionem simul artis atque ad disciplinam virtutis aptissimum; modo, qui eum adierit, vacuo sit praeiudicatis opinionibus animo studiosoque veritatis. Quin, quum e nostris non pauci numerentur boni poëtae qui omne ferre punctum, ut dicitur, videantur, miscentes utile dulci, habet hoc Dantes, ut singulari lectorem et imaginum varietate et colorum pulchritudine et sententiarum ac verborum granditate capiens, ad christianaee sapientiae amorem allicit atque excitet: ipsumque nemo ignorat aperte professum, ea se mente hoc carmen composuisse, ut aliquod praeberet omnibus vitale nutrientum. Itaque scimus nonnullos, vel recenti memoria, qui remoti a Christo, non aversi essent, quum huius praecepit lectio studioque tenerentur, divino munere, veritatem primo suspexisse catholicae fidei, ac subinde se in Ecclesiae sinum libentissime recepisse.

Quae hactenus memorata sunt, satis ostendunt quam sit opportunum per haec saecularia toto orbe catholicoo optimum quemque eo fieri alaciorem ad retinendam, fautricem

<sup>1</sup> Mon. III, 3.

bonarum artium, Fidem, cuius haec ipsa virtus egregie, si unquam alias, in Aligherio spectata est. Etenim in eo non modo summa ingenii facultas efficit admirationem, verum etiam immensa quaedam magnitudo argumenti, quod divina ei religio ministravit ad canendum; et is quod habuerat a natura tantum acuminis, diu quidem multumque exemplarium veterum contemplatione limavit, sed eo magis exacuit Ecclesiae Doctorum et Patrum disciplinis, ut diximus; quae res ei tribuit, ut cogitatione et mente multo evolare altius latiusque posset, quam si naturae finibus, exiguis sane, se continuisset. Itaque eum, quamquam a nobis tanto saeculorum intervallo seiungitur, huius paene aetatis dixeris esse, certe longe recentiorem quam quemquam ex his, qui nunc sunt, canitoribus vetustatis eius, quam Christus e Cruce victor de medio pepulit. Eadem omnino spirat in Aligherio, atque in nobis pietas; eosdem habet sensus religio; iisdem tamquam velaminibus utitur « allata nobis de caelo veritas, quam tam sublime evesti sumus ». Haec eius nobilissima laus est, christianum esse poëtam, id est christiana instituta, quorum contemplaretur toto animo speciem ac formam, de quibus mirabiliter sentiret, quibus ipse viveret, divino quodam cecinisse cantu; quam laudem qui inficiari non dubitant, omnem Comoediam religiosam rationem commenticiae cuidam fabulae comparantes, nulla veritate subiecta, si profecto id inficiantur quod est in Poëta nostro praecipuum, et ceterarum eius laudum fundamentum.

Ergo, si tam magnam honestatis amplitudinisque suae partem debet catholicae fidei Dantes, iam, ut alia omittamus, vel hoc uno exemplo illud confirmare licet, tantum abesse ut obsequium mentis animique in Deum ingeniorum cursum retardet, ut incitet etiam et promoveat: item iure colligitur, quam male consultant progressioni studiorum et humanitatis, qui nullum in iuventutis institutione patiuntur esse Religioni locum. Dolendum est enim disciplinam, qua publice studiosa iuventus instituitur, eiusmodi esse solere, quasi

nulla sit Dei habenda homini ratio, nulla eorum omnium, quae supra naturam sunt, rerum maximarum. Nam, sicubi « poëma sacrum » non habetur scholis publicis alienum, quin etiam in libris numeratur qui sunt studiosius perlegendi, at vitale illud nutrimentum, cui ferendo natum est, plerumque minime affert adolescentibus, utpote, disciplinae vitio, non sic animatis erga ea quae sunt divinae fidei, quemadmodum oportet. Quod utinam haec sollemnia saecularia id efficiant, ut, ubicunque datur opera erudiendae in litteris iuventuti, debito sit in honore Dantes, alumnosque christiana doctrina ipse imbuat; cui quidem in poëmate condendo nihil aliud fuit propositum, nisi *removere viventes in hac vita de statu miseriae*, id est peccati, et *perducere ad statum felicitatis*, id est divinae gratiae.<sup>1</sup>

Vos vero, dilecti filii, quibus auspicato contingit, ut litterarum artiumque optimarum studia, Ecclesia magistra, exerceatis, diligite carumque habete, ut facitis, hunc Poëtam, quem appellare christiana sapientiae laudatorem et praeconem unum omnium eloquentissimum non dubitamus. Huius enim in amore quo plus profeceritis, eo vos et perfectius ad veritatis splendorem vestros excoletis animos, et in Fidei sanctae obsequio studioque constans permanebitis.

Atque auspicem divinorum munera paternaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecti filii, amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Aprilis MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

BENEDICTUS PP. XV.

<sup>1</sup> Ep. X, § 15.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.